



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1601. usque ad annum 1605

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118790**

§. 39. Pontificis sollicitudo pro Jesuitis in Franciam revocandis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67204)

§. XXXIX.

Sæc. XVII.  
A. C. 1603.

*Pontificis sollicitudo pro Jesuitis in Franciam revocandis.*

Quamvis summus Pontifex, quod *Juven. hist. Soc. part. 5.*  
Fratres Dominicanos nimio favore  
prosequeretur, a nonnullis fuisset in-  
simulatus, luculento tamen comproba-  
bat testimonio, quod quidem erroris ob-  
jecti hostis, Societatis tamen æque ac  
veritatis amicus esset; quippe intimo  
animi sensu perpenderat, quod Fran-  
cia hæresi adhuc laboraret, & litera-  
riæ non minus quam Sacræ exedræ,  
quas antea Jesuitæ sibi vendicant, Vi-  
ris præcipue ad juventutem instituen-  
dam idoneis carerent, eoquod ceteri  
amissa promotionis spe ad ejusmodi  
studia sese laboriosius impendere ne-  
glicerent, hinc ante septem ferme an-  
nos per suum Legatum Cardinalem  
Alexandrum Medicæum, Henricum IV.  
Franciæ Regem sollicitabat, ut Jesui-  
tas Senatus edicto a Regno pulsos re-  
vocare, necnon Tridentini Concilii de-  
creta auctoritatis Regiæ usu firmare  
vellet: irritus tamen hujus Legationis  
successus Clementem a suo proposito  
adeo non deterruit, ut etiam Horatium  
Montanum postea Arelatensem Archi-  
episcopum & P. Laurentium Magium  
Jesui-

Sæc. XVII. Jesuitam unacum literis Blesas ad Hen-

A. C. 1603.

ricum ablegaret, qui Regi concessum  
dissoluti matrimonii sui diploma defen-  
deret, eumque tanto beneficio provoca-  
tum ad revocandam Societatem indu-  
ceret. Verum Henricus rem usque ad  
suum Parisios reditum differendam ex-  
xit. Postquam vero ventum est Lutetiam,  
Cancellarius pro Jesuitis die prima  
Januarii anno millesimo sexcentesimo  
coram Curiae Præsilibus, tam trepide  
perorabat, ut Rex vix non gratiæ loco  
habere deberet, quod *Mutinae* & *Arelatensis*  
Præsules, cum potuissent Regii  
matrimonii causam cum Societatis  
caussa conjungere, ut neutra sine altera  
conficeretur, hi tamen Regi darent, ut  
quæ causa ipsum spectat, priori loco  
quidem sola pertractaretur, posterior, quæ  
Pontificem spectare videtur, Regi  
mitteretur benignitati, ut Beneficium datum  
summo Pontifici eo gratius foret, quod  
liberius, ut si quid Rex in Societate  
prehenderet, id emendari posset, cum pro-  
sto sit vades idoneus, summus Pontifex  
qui pro ipsa sponderet, fidemque suam  
interponeret.

Verum speciosa hæc verborum  
nocinia Regis animum haud adeo  
tillabant, ut tum eorum votis cederet.  
insuper etiam Servinus Regius Advoca-  
tus acriter in Senatu adversus So-  
cietatem

cietatem declamabat, ac Seguius Sæc. XVII.  
 Præles rem a Parisiensi Senatu, a quo A. C. 1603.  
 etiam expulsionis decretum annuente  
 Rege emanabat, decidendam censebat:  
 id vero ut præverterent Jesuitæ, Can-  
 cellarium æque ac Villaregium sollici-  
 tabant, ut hoc negotium nequaquam  
 Senatui permitteretur, sed illud ipsi-  
 met transigerent cum Rege. Id quo-  
 que Præses per suum Romæ Oratorem  
 Pontifici renuntiari, ejusque mentem  
 de modo restituendæ Societatis ex-  
 quiri jussit.

§. XL.

*Jesuitarum caussa per se ipsos æque,  
 ac Patronos agitata.*

Cum Jesuitæ nihil Parisiis confici posse  
 cernerent, causam per seipsos a-  
 gere constituunt, utque secundus co-  
 natui responderet successus, ad omnes  
 occasiones sibi propitias summopere in-  
 tenti erant, ac præprimis peropportu-  
 nus erat adventus Mariæ Medicæ, quæ  
 recens desponsa Henrico Galliarum Regi  
 uxor Florentiæ Mariam Magdalenam  
 de Pazzis Carmelitanam tum eximia  
 sanctitatis opinione florentem inviserat,  
 ac tria potissimum ejus apud Deum  
 precibus impetranda postulabat: vi-  
 cissim vero hæc Sancta Jesuitarum vo-  
 tis

*Juven.  
 Hist. Soc.  
 l. 12. p. 5.  
 Thuan. Hist.  
 l. 129.  
 Abregé de  
 l'Hist. Eccles.  
 Siècl. XVII.  
 Hist. du  
 Parlem. de  
 Paris c. 42.*